

veritates. Rabbinos hâc in parte sequi videtur Augustinus. Illustrissimus ejus locus est Confessionum lib. 12. cap. 31. qui sic habet. *Ita, quum alius dixerit, hoc sensit, quod ego: alius, imò illud, quod ego: religiosius me arbitror dicere, cur non utrumque potiùs, si utrumque verum est? Et si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non omnia illa vidisse credatur, per quem unus Deus S. Literas vera & diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certè quod intrepidus de corde meò pronuncio; si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallet scribere, ut, quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quàm ut unam veram sententiam ad hoc apertiùs ponerem, ut excluderem cæteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam præceps esse, ut hoc illum virum de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitavit cum ea scriberet, quicquid hic veri potuimus invenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inveniri potest. Et qui huic proximus est ejusd. lib. cap. 26. Vellem quippe si tunc ego essem Moyses, ex eâdem namque massa omnes venimus, & quid est homo, nisi quia memor es ejus; vellem ergo si tunc ego essem quod ille, & mihi abs te Geneseos liber scribendus injungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari, & eum texendi sermonis modum, ut neque illi, qui nondum queunt intelligere, quemadmodum Deus creat, tanquam excedentia vires suas dicta recusarent; & illi qui hoc jam possunt, in quamlibet veram sententiam cogitandò venissent, eam non prætermittam in paucis verbis tui famuli reperirent; & si alius aliam vidisset in luce veritatis, nec ipsa in eisdem verbis intelligenda deesset. His non absimilis occurrit de Doctrin. Christianâ lib. 3. cap. 27. *Quid in Divinis Eloquiis largius, & uberius potuit provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari. Atque hinc est ejusdem Regula: Ambigua in sacris Literis, si explicari nequeunt, in utramque partem intelligi possunt, si fidei regula non obstet. Et hunc putamus esse ingentem illum sensuum thesaurum, in profundò Sacrorum Codicum delitescentem, quem tantopere deprædicant, ac tantis laudibus extollunt Patrum nonnulli. Sic Hieronymus ad Paulinum Epistol. 103. cap. 7. *Apocalypsis Johannis tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dixi pro meritò voluminis: laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Et in 3. caput ad Ephesios, Singuli sermones, Syllabæ, apices, & puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus. Sic Basilius cap. 1. operis de Spiritu sanctò, viris Theologicis exponendos esse docet ipsos literarum apices, ipsas literas, & syllabas: nedum voces & orationes. Ac denique Chrysostomus in Genesin Homil. 21. Ego, inquit, omnes vos obsecro, ne simpliciter ea, quæ in Scripturis sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hîc scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias. Quandoquidem divinò***